

nitio nostra intellectualis sit abstractiva, ut testatur natura i. e. comprehensio et extensio idearum nostrarum, neque obiecta sensibilia possint esse eius obiectum immediatum — nego. Res igitur *ut singulares* cognoscuntur eo, quod conceptus per se universalis ad obiectum sensationis ab *eadem* anima simul intellectuali et sensitiva referatur, quod veteres vocant „conversionem ad phantasmata“. — Quodsi ratio adducta probaret, consequens esset, intellectum nostrum directe non apprehendere nisi ipsas qualitates sensibiles easque modo concreto et individuali, ita ut cognitio essentiae et substantiae rerum fieret per modum conclusionis et per analogiam, quod tamen repugnat tum conscientiae nostrae, tum comprehensioni et extensioni idearum nostrarum.

8. Atqui si ideae nostrae res modo generali repraesentarent, essent falsae; dist.: negative, i. e. imperfecte res repraesentant — conc.: positive; subd.: quoad id quod expriment — nego; quoad modum, quo repraesentant: iterum dist.: si repraesentarent res ut in se universales — conc.; cum a modo, quo res existunt, abstrahant — nego. „Abstrahentium enim, ut dicunt, non est mendacium“.

*Scholion. De cognitione singularium: Scotus et Suarez censent,¹⁾ nos directe res singulares percipere et quidem conceptu proprio, qua in re a S. Thoma dissentire videntur. Sed eorum sententia forte aliquo modo componi potest cum iis, quae S. Thomas (S. Theol. quaest. 85, art. 3) docet: „Cognitio singularium est prior quoad nos quam cognitio universalium, sicut cognitio sensitiva (prior est) quam cognitio intellectiva“; et ibidem distinguit inter cognitionem reflexam („intentio universalitatis“) et directam („universalis intentio“, sive „natura universalis“); inter originem cognitionis eiusque perfectionem, inter comprehensionem et extensionem conceptus, inter cognitionem rei claram et distinctam. Si igitur *obiectum* (comprehensio conceptus) cognitionis nostrae intellectualis consideratur, sc. illud quod primum in sensatione percipimus, patet, intellectum in cognitione *directa* per abstractionem naturalem primo quidem percipere naturam rei in se *singularis*, sed *modo generali*, quin tamen in prima illa cognitione directa (simplici apprehensione) attendat ad hanc universalitatem; ac proinde haec apprehensio intellectualis simul coniuncta cum sensatione praesente est cognitio rei singularis, eiusque conceptus proprius. Haec autem rei cognitio nondum est distincta, quia notae rei non satis ab invicem distinguuntur. Cognitio vero *logice reflectens* in extensionem conceptus directi eum, potentia iam universalem, actu ad multa extendit, i. e. eius universalitatem directe intendit. Cognitio *ontologice reflexa* in comprehensionem huius conceptus directi, plerumque valde compositi, notas eius singulas considerat et conceptus magis universales inde efformat. Hoc modo conceptus primo *confusus* fit distinctus et actu generalis.*

Si vero *modus imperfectus* cognitionis nostrae tum intellectualis tum sensitivae spectatur, quae „de potentia in actum procedit“, patet, nos primo res modo aliquo *confuso* percipere, ita ut paulatim rei diversas notas distinguamus. S. Thomas adducit exemplum rei procul et prope visae, necnon puerorum, qui initio omnes viros patres vocant, nondum distinguentes inter

¹⁾ Cfr. Al. Schmid, Erkenntnislehre, I, p. 443 sq. Lehmen, Lehrbuch der Philosophie ², II, 350 et 390 sq.

hominem et *hunc* hominem; ex quo exemplo iam Aristoteles eandem atque Angelicus Doctor statuerat sententiam.¹⁾

Caput II: De obiecto materiali idearum.

Vidimus, obiectum formale idearum in genere esse rationem entis abstractissimam. Quidquid igitur habet rationem entis, ab intellectu nostro cognosci potest, sive eius est obiectum materiale. *Atqui* nihil est, neque quidquam esse potest, quod non sub ratione entis universalissimi contineatur, sive sit res materialis sive immaterialis, sive existens sive possibilis, sive finita sive infinita. *Ergo* obiectum materiale intellectus *per se* sunt omnes omnino res, dummodo debita ei proportione proponantur.

Iam vero constat, nos re vera multas res non cognoscere, neque omnes eodem modo cognoscere. Quaeritur igitur: 1^o quale obiectum sit primum et proportionatum cognitionis nostrae, 2^o quale vero secundarium et inadaequatum; 3^o quomodo nosmetipsos cognoscamus.

§ 1. De obiecto primario et proportionato intellectus nostri.

Thesis XVI: Obiectum primum, proprium et proportionatum cognitionis nostrae intellectualis est essentia rerum materialium.²⁾

St qu. 1^o Obiectum *primum* est illud, quod a facultate cognoscendi tempore et natura primo attingitur; agitur hic potissimum de cognitione directa per abstractionem naturalem, quae conceptu primitivo exprimitur. *Obiectum proprium* est, quod facultas directe et in se cognoscit, non per relationem ad aliam rem; exprimitur igitur conceptu proprio, non analogo; obiectum *proportionatum* est, quod naturae physicae facultatis congruit.

2^o Non affirmamus, essentias rerum, ut sunt individuae, sive ut sunt materiales, esse obiectum intellectus; sed essentias rerum praecise spectatas sub ratione generali, i. e. *praecisive immateriali*, quae etiam in rebus spiritualibus inveniri potest: ens, unum, verum, bonum, substantia, accidens, causa, finis, vita etc.

3^o Adversarii sunt *Platonici* statuentes nos primo et proprie formas rerum immateriales in se subsistentes percipere; *Ontologistae*, qui existimant, nos primo divinae naturae habere intuitionem; *Idea-*

¹⁾ Cfr. Alamannum, S. philos. S. Thomae, II, qu. 100, a. 3. Opusc. 49: „De sensu respectu singularium et intellectu respectu generalium“. Wundt (System der Philos., p. 218) putat conceptus generum vel specierum *intermediarum* primum formari, deinde supremos et infimos.

²⁾ Cfr. S. Theol., I, quaest. 84 integram, praesertim art. 7 et 8.

listae, qui si sunt pantheistae, ut Fichte, Schelling, Hegel etc., docent, nos primo ens absolutum apprehendere; si sunt psychologici, nos primo et proprie subiectivas nostras affectiones sive sensitivas sive intellectuales percipere putant, ut Cartesiani, Leibnitziani, Kantiani et plerique recentes philosophi.

I. Obiectum *primum* cognitionis nostrae intellectualis sunt essentiae rerum materialium.

Prob. 1. Ex origine idearum: Ostendimus, cognitionem nostram intellectualem *oriri* ex perceptione sensuum, ita ut deficiente sensu aliquo etiam ideae ad eum pertinentes deficiant. *Atqui* sensus, ut patet, non possunt referre nisi res materiales, sensibiles. *Ergo* etiam primum obiectum cognitionis intellectualis non potest esse nisi natura universalis rei materialis, sive ratio entis in re materiali, obiectum *praecisive* vel *negative* immateriale in re materiali.

2. *Ex experientia:* Constat, infantes et homines rudes primo non formare conceptus nisi rerum, quas sensibus perceperunt; neque res immateriales percipere, nisi per relationem ad res materiales iam cognititas; ¹⁾ quare magistri infantium toti in eo sunt, ut veritates per se invisibiles modo sensibili discipulis repraesentent. *Atqui* illud erit primum intellectus nostri obiectum, quod infantes primo apprehendunt et ad quod alia obiecta cognoscenda referunt. *Ergo* primum intellectus obiectum sunt essentiae rerum materialium.

II. Sunt etiam obiectum *proprium* intellectus nostri.

Prob. 1. Ex natura cognitionis nostrae: Ea est natura cognitionis nostrae, ut non solummodo oriatur ex sensatione, sed ut nihil cogitare possimus, quin adsit saltem imago phantasiae, qua idea mentis modo sensibili reflectatur; et phantasia perturbata, sive organo eius laeso, etiam cognitio intellectualis simul afficitur. *Atqui* si obiectum intellectus proprium non essent rerum materialium naturae universales, sed immaterialium, cognitio nostra non indigeret sensibus, ut inciperet, neque ut perficeretur; immo tunc melius et facilius eius operatio fieret sensibus non impedita et abstracta. *Ergo* obiectum proprium intellectus sunt essentiae materiales sive res praecisive immateriales.

2. *Ex natura idearum nostrarum:* Illud est obiectum proprium cognitionis nostrae intellectualis, quod directe et in se percipitur, ac

¹⁾ Cfr. Max Müller, Vorlesungen über die Wissenschaft der Sprache II. 320: „Alle Wurzeln d. h. alle materiellen Elemente der Sprache sind die lautlichen Zeichen für Sinnesausdrücke und nur für solche, und da alle Wörter, selbst die abstraktesten und erhabensten, von Wurzeln begleitet werden, so acceptiert die vergleichende Philologie die Schlüsse, zu denen Locke gelangt ist, vollständig.“ Sed Locke in eo errat, quod sensationes ab ideis non essentialiter distinguit; cfr. supra p. 252 sq.

proinde per ideas proprias exprimitur, et ad quod omnia alia obiecta, ut possint cognosci, referuntur. *Atqui* obiecta materialia a) directe et in se percipiuntur, i. e. non per conclusionem, sed immediate in et cum sensatione ratio entis, substantiae, unius, veri, boni, extensionis, vitae, causae, finis etc. apprehenditur; b) ideae nostrae de rebus materialibus sunt propriae, c) et res positive immateriales, ut inferius dicetur, a nobis non concipiuntur, nisi per relationem ad res materiales ac proinde per ideas analogas. *Ergo* obiectum *proprium* idearum sunt essentiae rerum materialium.

III. Sunt etiam obiectum *proportionatum*.

Prob. 1. Ex natura nostra: Operatio sequitur esse; nam effectus debet respondere causae. *Atqui* cognitio intellectualis est operatio praecipua et specifica hominis, qua ab aliis entibus distinguitur: a *brutis*, quia non intrinsece dependet ab organis; a *puris spiritibus*, quia sensus debent aliquo modo concurrere; homo enim est ex se animal rationale. *Ergo* cognitio intellectualis nostra debet naturam nostram imitari et in se et quoad obiecta, percipiendo rationes immateriales in re materiali, immutabiles, aeternas in re contingenti, universales in re singulari.

2. *Ex absurdis:* Si essentiae rerum materialium non essent obiectum proportionatum intellectus nostri, sed rationes rerum immateriales, non posset intelligi, cur tanta sit dependentia cognitionis nostrae a rebus materialibus per sensus perceptis, neque cur anima nostra rationalis immersa sit corpori et coniuncta sensibus, qui eius operationes saepe turbant eamque continuo deprimunt, nisi cum Platone inepte statuas, animas humanas in se pure spirituales propter delicta quaedam in vita antea commissa corporibus inclusas esse. *Ergo* obiectum proportionatum intellectus nostri sunt essentiae rerum materialium. Iure igitur S. Thomas: „Obiectum intellectus nostri (adde: primum, proprium, proportionatum) secundum praesentem statum est quidditas rei materialis, quam a phantasmatibus abstrahit.“ ¹⁾

Obi. 1. Obiectum intellectus debet esse immateriale; ergo non potest esse res materialis; dist.: ut est materialis — conc.: ut *praecisive* immaterialis — nego

2. *Atqui* res materiales nullo modo intellectui immateriali proportionatae sunt; dist.: eius naturae non sunt proportionatae — conc.; eius cognitioni, subd.: ante sensationem et mentis abstractionem — conc.; alias — nego.

3. *Atqui* nullo modo sunt intellectui proportionatae; nam hic sibi solus est proportionatus, unde nihil cognoscere potest nisi ratione sui; dist.: intellectus sibi solus est proportionatus quoad naturam — conc.; quoad

¹⁾ S. Theol. I, qu. 85, art. 8, c.

cognitionem; subd.: i. e. nihil potest cognoscere nisi praevia abstractione et assimilatione immateriali — conc.; alias — nego.

Ad rationem additam: nihil potest cognoscere nisi ratione sui; dist.: nihil cognoscit, nisi quod ipsi modo immateriali assimilatum fuerit (per species impressas et expressas) — conc.; nihil a se distinctum cognoscit — nego.

Coroll. Si quaeritur, quid primo in rebus materialibus intellectus percipiat, apparet, esse eius obiectum formale sc. rationem *entis*, non quidem reflexe cognitam et omni determinatione carentem, sed modo aliquo confuso determinatam, quae cognitio confusa per mentis reflexionem ontologicam statim perficitur, ita ut ad cognitionem distinctam rei materialis perveniamus. Simul cum ratione entis intellectus etiam alias notiones transcendentales in obiecto materiali sensibus repraesentato percipit, ut sunt: *unum, aliquid*, quibuscum intime cohaeret conceptus: *multitudinis, diversitatis, extensionis, totius, partis*. Per reflexionem vero aliquam primitivam ontologicam, simulque psychologicam in actum cognoscendi et appetendi, qui illum sequitur, oriuntur notiones: *veri, boni, pulchri, utilis, honesti, obligationis, virtutis, religionis* etc.

In et cum sensatione intellectus rationem entis percipit connexam cum ratione *substantiae* et *causae*; nam phaenomena sive apparentiae sensibiles non possunt esse sine re apparente et se sensibus influxu suo manifestante. Cum conceptibus substantiae et causae etiam notiones *accidentis* et *effectus* necessario cohaerent. *Motus* in rebus sensibilibus modo diverso sese manifestant, unde motus mere mechanici et vitales, necessarii et liberi distinguuntur; et hoc modo conceptus *corporis anorganici, organici*, porro conceptus *vitae sensitivae, rationalis* etc. formatur. Denique res sensibiles apparent mutabiles tum quoad existentiam tum quoad operationem; inde conceptus *possibilitatis, contingentiae, finitatis, dependentiae* facile oriuntur. Hoc igitur modo conceptus omnes fundamentales ex rerum materialium perceptione vel immediate, vel facili et naturali reflexione per illationem plerumque immediatefformantur.

§ 2. De cognitione rerum immaterialium.

Thesis XVII. *Intellectus noster in statu praesenti res immateriales non immediate cognoscit per conceptus primitivos, sed per conceptus factitios, analogicos, negativo-positivos.*

St. qu. 1^o *Res immateriales* in thesi significantur obiecta non praecisive, sed *positive*, i. e. in se immaterialia, ut sunt Deus, puri spiritus, animae nostrae natura, et quae illas naturas spirituales sequuntur.¹⁾ Unde affirmamus, nos eas non directe, i. e. non per intuitionem aliquam, neque per abstractionem immediatam a sensatione cognoscere, sed vel per ratiocinium, vel per fidem.

2^o *Ideaefactitiae* sunt illae, quae mediante iudicio aliquo sive ratiocinio ex primitivis nascuntur; et sunt propriae, si res per naturam

¹⁾ Cfr. S. Thomam, lib. I, phys. lect. 1.

suam exprimunt, *analogicae*, si rem non per suam ipsius naturam, sed per relationem ad aliam exprimunt; e. g. sanitas de medicina; *negativo-positivae* sunt, quae partim ex notis positivis constant, partim ex negatione perfectionis vel defectus, e. g. infinitus. Affirmamus igitur, conceptus nostros rerum spiritualium esse *factitios, analogicos, positivo-negativos*.

3^o Adversantur nobis in hac quaestione et ii qui, exaggerantes naturam cognitionis nostrae, nos primo, directe et immediate res spirituales cognoscere putaverunt, ut Platonici, Ontologistae, Idealistae, Pantheistae; et ii qui, naturae cognitionis nostrae nimium detrahentes, nihil cognitionem sensuum transcendens nos certo percipere posse affirmaverunt, ut Kantiani, Positivistae et plerique recentes.

I. *Res immateriales non immediate cognoscimus.*

Prob. 1. Ex natura cognitionis nostrae: Ostendimus, obiectum primum, proprium, proportionatum intellectus nostri esse rationes immateriales et universales in rebus singularibus et materialibus, in quantum per sensus percipiuntur. *Atqui* res spirituales sensibus nullo modo attingi possunt, et si modo sensibili proponuntur, e. g. imago Dei, angeli, cognoscuntur non proprie et immediate, sed per relationem ad homines visibiles. *Ergo* res spirituales non sunt obiectum immediatum cognitionis nostrae.

2. *Ex experientia:* Sicut res spirituales immediate percipi possent sive per intuitionem sive per abstractionem directam: a) neque nobis neque aliis explicandae essent per imagines sensibiles, quae saepe errorem nobis creant et modo valde imperfecto eas nobis repraesentant; b) neque posset esse, qui dubitaret sive de Dei sive de animae nostrae existentia et natura, sicut nemo sana mente dubitat de proprio corpore, sive de aliorum hominum existentia sensibus percepta. *Atqui* constat, nos res spirituales nobis repraesentare modo sensibili per alias res visibiles, sicut caecus conceptum coloris sibi efformat ex sensu auditus sive tactus; neque alio modo pueros sive rudes docere possumus res spirituales, nisi adhibitis imaginibus sensibilibus. Deinde constat, tot esse, qui et de Dei et de animae nostrae existentia et natura dubitent, totque esse de his rebus errores et dissensiones, quum tamen de rebus sensibilibus vix dissentiant. Iure igitur cum S. Thoma concludimus, nos „substantias immateriales, quae sub sensum et imaginationem non cadunt, primo et per se, secundum praesentis vitae statum intelligere non posse.“¹⁾

¹⁾ S. Theol. I, qu. 88, art. 1, c.

II. *Percipiuntur conceptibus factitiis.*¹⁾

Prob. 1. Per exclusionem: Constat, nos habere, cognitionem rerum spiritualium: Dei, angelorum, animae etc. *Atqui* hi conceptus, ut ostendimus, non formantur ex immediata perceptione, i. e. non sunt ideae primitivae. *Ergo* debent esse factitiae.

2. *Ex natura conceptus factitii:* Conceptus factitii (abstractivi, mediati) sunt illi, qui ex primitivis formantur. *Atqui* conceptus rerum spiritualium revera ex primitivis nascuntur, ut eorum analysis docet: Sic conceptus Dei neque innatus est, neque primitivus, sed formatus ex conceptu primitivo causae et effectus et rerum finitarum existentia; conceptus angeli est formatus ex conceptu animae nostrae rationalis et negatione corporis coniuncti; conceptus autem animae nostrae spiritualis oritur ex conscientia actuum organici non indigentium et principio causalitatis. *Ergo* conceptus rerum spiritualium sunt conceptus factitii.

III. *Sunt porro conceptus analogici.*

Prob. 1. Ex natura conceptus analogici: Conceptus analogici sunt illi, qui rem exprimunt non per propriam rei naturam, sed per alterius rei naturam, ad quam res concepta habet aliquam relationem sive proportionem intrinsecam vel saltem extrinsecam. *Atqui* conceptus rerum spiritualium eas non exprimunt secundum earum propriam naturam, quam nullo modo intuemur, sed per earum relationem ad res visibiles: Sic concipimus Deum tanquam causam infinitam rerum finitarum; angelos tanquam similes nobis quoad naturam rationalem; animam nostram ad modum substantiarum corporalium viribus intellectus et voluntatis praeditam etc. *Ergo* conceptus rerum spiritualium sunt analogici.

2. *Ex verborum significatione primitiva:* Constat per etymologiam, verba res spirituales significantia omnia desumpta esse ex significatione rerum materialium: Sic spiritus, anima a vento; angelus a nuntio; Deus a divo²⁾ (coelo). *Atqui* hoc factum, quod in omnibus linguis observatur, explicari non posset, nisi conceptus nostri rerum spiritualium essent analogici. *Ergo* . . .

¹⁾ Cfr. S. Theol. I. c. art. 2 et 3. ²⁾ Ex eadem radice Div = lucere derivatur in lingua sanscritica Dévas, in persica Daeva, in graeca Zeus, θεός, in latina Deus, in germanica Tyr (Edda) vel Zio (Altddeutsch), Tiw (Angelsächsisch), Tius (Gotisch). Diewas (Litthauisch), Dia (Irländisch); Gott a djut voce sanscritica = lucere. Hebraei, Assyrii, Phoenicii, Syrii, Arabes ab El = potens nomen Dei derivant. Aegyptii: Nutar = iudex inexorabilis; Sinenses: Schangte = supremus dominus vel Tien = magnum et unicum; Indi: Brahma = fons vitae, vel Vischnu = Salvator, vel Schiva = iudex iustus.

IV. *Sunt conceptus negativo-positivi.*

Prob. 1. Ex origine horum conceptuum: Si conceptus rerum spiritualium analysi subicimus, apparet, eos rebus expressis tribuere rationes praecisive immateriales, quae in rebus et materialibus et immaterialibus inveniri possunt, simul autem nos indicare, eas rationes modo diverso inesse rebus spiritualibus. Sic conceptus Dei formatur, asserendo esse substantiam, non materialem, non finitam, sicut sunt substantiae creatae, in qua esse et agere non sit realiter distinctum, ut in rebus creatis. Sic conceptus spiritus formatur ex conceptu substantiae materialis, negando materialitatem et quae eam sequuntur qualitates. — Quod confirmatur ipsis rerum spiritualium nominibus, quae saepe modo negativo-positivo res spirituales exprimunt, e. g. infinitum, immateriale, simplex (sine plica). *Ergo* conceptus rerum spiritualium sunt conceptus negativo-positivi.

2. *Ex natura cognitionis nostrae:* Ostendimus, conceptus nostros rerum spiritualium formatos esse ex conceptibus rerum materialium primitivis. *Atqui* hi conceptus, si rebus pure spiritualibus applicarentur eodem modo, quo de materialibus praedicantur, certe essent falsi; e. g. si anima nostra positive ut substantia formaliter extensa, divisibilis, subtilissima conciperetur; vel si Deus substantia infinite magna haberetur. *Ergo* ut conceptus illi rerum spiritualium analogici veri sint, oportet eos illas rerum materialium qualitates negare, quae rebus spiritualibus non conveniunt, i. e. debent esse negativo-positivi.

Obi. 1. Res spirituales sunt similiores animae rationali quam materiales; ergo sunt obiectum cognitionis magis proportionatum; dist.: si natura animae rationalis sola spectatur — trans.; si totum compositum humanum consideratur — nego.

2. *Atqui* in omni casu sunt obiectum magis proportionatum, quia magis intelligibiles sunt; dist.: in se — conc.; quoad nos — nego.

3. *Atqui* etiam quoad nos, quia ad eas percipiendas non necessaria est abstractio; dist.: a rei individualitate — nego; a rei materialitate; subd.: et haec abstractio sola sufficit — nego; si accedit simul assimilatio secundum naturam principii cognoscentis, quod est sensitivum et rationale simul; i. e. si res spiritualis modo debito per relationem ad sensibilia proponatur — conc.

4. *Atqui* res spiritualis potest immediate cum principio rationali coniungi; dist.: physice — trans.; modo intentionali; subd.: naturaliter — nego; supernaturaliter — conc.

5. *Atqui* tunc nescimus, num liceat conceptus et principia, ex rebus materialibus formata, transferre ad res insensibiles et spirituales; esset enim, ut logici dicunt, transitus in aliud genus, quemadmodum Kant et positivistae iure videntur statuere; dist.: si illi conceptus, illaque principia essent mere ex experientia deducta sive synthetica — conc.; cum sint conceptus in se necessarii et principia sint analytica, quae fundantur in ratione entis omnes

res includentis — nego. — Et certe, si conceptus nostri substantiae, causae, finis, etc. et principia contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis, non possent applicari nisi ad res sensibus obvias, nullae leges universales physicae statui possent, nullae essent veritates universales, quia sensibus percipi non possunt. Nulla tunc fieri posset legitima inductio, quae supponit principium causalitatis; stultum esset, atomos supponere nunquam visibiles, aethere nunquam observandum, vibrationes lucis nunquam physice experiendas, sed solo ratiocinio probandas. Denique omnis periret scientia, nisi admittatur, principia illa habere valorem universalem, ac proinde etiam ad res spirituales probandas valere.

§ 3. De cognitione sui ipsius.

Thesis XVIII. Non habemus intuitionem essentiae nostrae, sed cognoscimus nostram existentiam et naturam ex actibus nostris: illam immediate, hanc saltem mediate.

St. qu. 1^o Ostendimus, obiectum primum, proprium, proportionatum cognitionis nostrae esse essentias rerum materialium, res vero immateriales esse obiectum secundarium, inadaequatum. Quaeritur nunc, quomodo nostram naturam cognoscamus, quae partim ad res materiales, partim ad res immateriales pertinet. Quoad corpus nostrum nulla est difficultas, si agitur de perceptione externa; nam sicut res sensibiles a nobis distinctae per sensus externos percipiuntur, ita et corpus nostrum hoc modo iam immediate a nobis diversis sensibus apprehenditur. Quaestio potissimum est, num et quomodo anima nostra eiusque cum corpore unio cognoscatur. Haec animae nostrae cognitio posset per se esse duplex: *immediata* et *mediata*. *Immediata* iterum esse potest *directa* sive *intuitiva*, sicut oculus res coloratas, extensas intuetur; et *indirecta*, si in et cum actibus suis simul percipitur. *Mediata* est, si per modum conclusionis cognoscitur, sicut causa ex effectu. Affirmamus igitur, nos *non intueri* essentiam nostram, i. e. animam eiusque cum corpore unionem.

2^o Affirmamus autem: a) nos *immediate*, licet indirecte, percipere actus nostros tum cognoscendi tum volendi; b) eodem modo nos in et cum actibus nos ipsos aliquo modo percipere: corpus quidem in et cum actibus organicis; animam rationalem in et cum actibus anorganicis, utriusque unionem praesertim in et cum actibus sentiendi. Sed bene distinguendum est inter cognitionem *existentiae* et cognitionem *naturae* corporis et animae nostrae; illam quidem *immediate*, licet indirecte, hanc autem *distincte* non nisi *mediate* nos cognoscere affirmamus.

3^o Adversantur nobis in hac thesi: a) exaggerantes cognitionem sui ipsius e. g. *Rosmini* statuens sensum fundamentalem, ex coniunctione corporis et animae ortum, quo, nullo actu praevio, anima suam

cum corpore unionem sentiret, immo constitueret; *Tongiorgi* et *Galuppi* sensum intimum statuunt superiorem, quo anima rationalis se, nullo actu praevio, sentiret, et inferiorem, quo suam in corpore praesentiam (unionem) perciperet perenniter. b) *Günther* nimium deprimens cognitionem sui ipsius, censuit, hominem ad conscientiam sui non pervenire ex actibus suis, sed per influxum aliquem immediatum entis intelligentis, i. e. per verbum humanum. *Empiristae*, *Comte*, *Spencer* et alii negant, nos percipere nosmetipsos ullo modo; negant igitur factum „introspectionis“, qua subiectum cognoscens sibi ipsi fiat obiectum cognitum.¹⁾

I. Anima non habet intuitionem intellectualem neque existentiae neque essentiae suae.

Prob. 1. Ex natura cognitionis nostrae: Cognitio nostra intellectualis est abstractiva ex sensatione, neque res immateriales per conceptus proprios cognoscimus. *Atqui* anima nostra est ens simplex et spirituale, neque ullo modo sensibus attingitur. *Ergo* non potest esse obiectum intuitionis.

2. *Ex experientia:* Si haberemus intuitionem animae nostrae eiusque cum corpore unionis, sicut *Rosmini* et *Tongiorgi* volunt: a) deberet semper adesse actualis cognitio et animae et corporis eorumque unionis; b) deberemus scire, quomodo anima differret a corpore, et qualis esset eorum unio; c) non possent esse, qui animae nostrae existentiam et naturam spiritualem negarent, ut tot faciunt materialistae; d) immo cognitio animae nostrae deberet omnium prima esse et perfectissima. *Atqui* haec omnia factis repugnant et testimonio conscientiae. *Ergo* non habemus intuitionem animae nostrae.²⁾

II. Cognoscimus actus nostros immediate per conscientiam.

Prob. 1. Ex natura rei: Actus nostri tum cognoscendi tum appetendi ex natura sua tendunt ad corpus et animam nostram perficiendam per illa obiecta, circa quae versantur. *Atqui* ut possint nos perficere, necessarium est scire, eos esse nostros; secus enim non plus nostra eorum interesset, quam si alii homines sentirent, intelligerent, appeterent. *Ergo* debet adesse conscientia, per quam constat illos actus esse nostros. — Et quidem conscientia *immediata*; nam si esset *mediata*, i. e. per alium actum, tunc hic alius actus, ut tanquam noster cognosceretur, iterum requireret alium actum, quo ut noster referretur, et sic in infinitum, quod repugnat. (Cfr. supra p. 144 sq.)

¹⁾ Cfr. *Pesch*, *Inst. psychol.* I, p. 37. ²⁾ Cfr. *S. Thom. c. gent.* III, 46.

2. *Ex experientia interna*: Constat per experientiam internam, nos non solum obiecta percipere et appetere, sed *eodem* actu nobis constat, nos ipsos percipere et appetere. Ergo directe quidem obiecta apprehendimus, sed indirecte simul nos ut principium et subiectum illorum actuum. — Patet igitur, sententiam Spencersi et aliorum conscientiam negantium esse prorsus reiciendam. (Cfr. supra pag. 143 sq.)

III. *Cognoscimus existentiam tum corporis tum animae nostrae immediate in et cum actibus nostris sive organicis sive anorganicis.*

Prob. 1. Ex actu immediate perceptione: Constat, nos actus nostros tum sensitivos, tum intellectuales immediate apprehendere. Atqui non possumus eos immediate apprehendere, nisi simul eorum principium, i. e. animam in actibus intellectivis, vel corpus et animam unita in actibus sensitivis apprehendimus; nam a) conscientia actus illos non abstracte, sed *concrete* refert; unde cum ipsis principium quoque eorum manifestat, sicut sensatio videndi non colorem solum, sed rem coloratam refert; b) actus illi sentiendi et intelligendi sunt *immanentes*, ac proinde non possunt percipi nisi in et cum principio suo. Ergo ex actibus nostris immediate etiam existentiam principii, ex quo procedunt, i. e. animae et corporis cognoscimus.

2. *Ex absurdis*: Nisi immediata esset haec perceptio, deberet fieri per conclusionem. Atqui ex actibus illis internis non potest concludi, eos pertinere ad nos; nam aut supponitur, eos ad nos pertinere, et tunc supervacua est conclusio; aut non supponitur, et tunc potest quidem concludi, adesse aliquam causam, sed non, quae causa *individua* adsit. Ergo cognitio corporis et animae ex actibus eorum quoad existentiam est immediata.

Illud igitur Cartesii: Cogito, ergo sum, non est illatio ex facto aliquo interno, sed potius manifestatio nostrae existentiae ex facto illo interno actualis cogitationis. Unde S. Thomas dicit: „Non ergo per essentiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster, non tamen per speciem aliquam intelligibilem, sed per suam praesentiam“.¹⁾ Nam species intelligibilis tunc requiritur, quando obiectum ipsum non cum intellectu coniungitur; in cognitione autem sui ipsius per ipsos actus intellectus sibi ipsi praesens, immo identicus est. (Cfr. supra p. 136.)

IV. *Natura autem intrinseca sive corporis sive animae distincte non nisi mediate cognoscitur.*

Praenota: Cognoscentes nos immediate ex actibus nostris, certe etiam aliquo modo naturam et corporis et animae nostrae percipimus, sed imperfecte et confuse sub ratione entis, unius, substantiae, quae est subiectum

¹⁾ S. Theol. I, qu. 87, a. 1; cfr. III, dist. 23, qu. 1, a. 2. De veritate qu. 10, art. 8.

illorum actuum sive accidentium; sub ratione principii et causae, a qua illi actus emanabant. Sed nondum satis distinguimus inter corpus et animam, et a fortiori nondum animae et simplicitatem et spiritualitatem, neque modum, quo corpori unitur, statim in omni actu directe deprehendimus. Requiritur enim diligens in actus tum sensitivos tum intellectuales mentis reflexio et ontologica et psychologica: illa, quia ex obiecto formali etiam natura actus aliquo modo eruitur; haec, quia conscientia manifestat, quomodo actus interni quoad naturam inter se differant. Hac igitur mentis reflexione, adhibito principio causalitatis, natura ipsa animae eiusque cum corpore unio substantialis distincte et certo per ratiocinium cognoscitur.

Prob. 1. Ex modo cognitionis nostrae: Ea est natura cognitionis nostrae, ut cognoscamus rerum naturas non per intuitionem, sed per abstractionem: res materiales per abstractionem a phaenomenis sensibilibus, res immateriales per relationem ad res materiales. Atqui probavimus, nos immediate non apprehendere substantiam animae nostrae per intuitionem, sed solum indirecte in et cum actibus suis; haec autem cognitio indirecta ex natura sua est valde imperfecta et confusa. Ergo natura nostra ipsa distincte non per cognitionem immediatam nobis patet, sed mediate.

2. *Ex experientia*: Si ipsa animae nostrae natura nobis immediate esset manifesta, non possent esse errores et dissensiones de natura animae, de eius distinctione a corpore unioneque cum ipso, sicut homines omnes bene distinguunt inter actus sentiendi, intelligendi, volendi. Atqui constat tum per conscientiam, tum per experientiam, nos non distincte apprehendere naturam animae multoque esse errores in his quaestionibus. Quare bene animadvertit S. Thomas: „Ad primam cognitionem de mente habendam (i. e. ad immediatam eius ex actibus perceptionem) sufficit ipsa mentis praesentia, quae est principium actus, ex quo mens percipit se ipsam; et ideo dicitur se cognoscere per suam praesentiam. Sed ad secundam cognitionem de mente habendam non sufficit eius praesentia, sed requiritur diligens et subtilis inquisitio. Unde et multi naturam animae ignorant, et multi etiam circa naturam animae erraverunt.“¹⁾

Coroll. Quod de animae essentia dictum est, valet etiam de eius potentiis et habitibus, qui non cognoscuntur, nisi per actus. Anima enim nostra intellectualis ex se indifferens est ad hunc vel illum actum; indiget igitur semper aliqua determinatione; alioquin semper cognosceremus, quidquid cognoscere possumus. Quando ergo actus nullus adest, anima nequit neque se ipsam neque potentias earumque habitus (scientias, artes, virtutes etc.) cognoscere.²⁾

Obi. I. Videtur anima se ipsam intueri, quia sibi ipsi semper praesens est; dist.: physice sibi praesens est — conc.; intentionaliter, subd.: si actus adest — conc.; nullo actu praesente — nego.

¹⁾ S. Theol. I, qu. 87, a. 1; c. ²⁾ S. Thom. S. Theol. I, qu. 87, a. 2.

2. Atqui etiam nullo actu praesente se cognoscit; nam si ex actibus, i. e. ex operationibus suis se cognoscit, a fortiori ex essentia sua, quae est principium actuum, se cognoscere debet; dist.: si ex sua essentia esset determinata ad se cognoscendam — conc.; quum teste conscientia et experientia ex se non sit determinata — nego.

3. Atqui debet ex se esse determinata saltem ad corpus cognoscendum; alias nesciret, in quibus organis afficeretur et ad quos sensus sensationes diversae essent referendae; dist.: si praesente sensus alicuius determinatione non simul et affectionem suam et organum excitatum sentiret — conc.; alias — nego.

4. Atqui videtur impossibile, animam ex actibus suis se cognoscere; nam haec cognitio aut fieret per ratiocinium aut per immediatam apprehensionem. Atqui a) non fit per ratiocinium, quia ex actibus ut effectibus aliqua quidem causa, sed non particularis concludi potest; b) neque potest esse immediata cognitio; nam ut in actu suo anima se ipsam perciperet, alio actu indigeret, et hic iterum per alium actum ad animam nostram pertinere cognoscendus esset usque in infinitum. Ergo nisi immediata animae cognitio per suam essentiam admittitur, nulla erit.

Dist. minorem quoad I partem: non fit per ratiocinium cognitio animae *distincta, reflexiva* — nego; *directa* — conc.

Dist. II partem: non est immediata cognitio, ita ut actu *reflexo, distincto* ab actu directo (actu signato) animam ut principium actuum percipiamus — conc.; ita ut eodem actu (actu exercito) et ipsum actum cum obiecto et principium eius i. e. animam, licet indirecte, reflexione imperfecta non percipiamus — nego.

Scholion de cognitione angelorum. Ad modum cognitionis nostrae melius intelligendum, expedit duce S. Thoma¹⁾ inquirere, quomodo angeli cognoscant.

1. Angelos existere *posse*, ex existentia animae nostrae rationalis et ex serie continua entium, in qua puri spiritus vix deesse possunt, facile deducitur²⁾; immo facilius existentia puri spiritus, quam spiritus incorporati intelligi videtur, ut ex tot de unione animae et corporis difficultatibus apparet. *Existere* autem angelos vel ex fide patet, vel ratiocinio demonstratur, si certos effectus angelorum alicubi adesse constat. — Ceterum ex omni tempore homines et rudes et philosophi spiritus sive bonos sive malos esse inter Deum et homines intermedios certum ratumque habebant, ut patet ex fide religiosa et ex traditione gentium, necnon ex philosophia graeca, praesertim Platonis³⁾ et Aristotelis⁴⁾.

2. Angeli *seipsos* cognoscunt *per suam essentiam*, quam intuentur; nam ad cognitionem requiritur, ut obiectum adsit intelligibile et modo proportio-

1) S. Theol. I, qu. 54—59; c. gent. II, 96—101; cfr. Kleutgen, Philos. der Vorz., I, n. 120—126. 2) S. Theol. I, qu. 50, a. 1; quaest. unica de spirit. creat. art. 5: arguit ex perfectione universi, ex ordine rerum, ex natura intellectus. 3) De republica X; arguit ex obiecto universali idearum, inde deducens existere formas separatas. 4) Metaph. XII (alii XI), 8; arguit ex motibus coelestibus ordinatis et uniformibus, debere adesse motores spirituales eosque vel 55 vel saltem 47 iuxta numerum sphaerarum coelestium ab eis movendarum.

nato cognoscenti coniungatur. *Atqui* essentia et natura angelorum est prorsus intelligibilis, estque semper praesens eorum intellectui non solum physice, sed etiam intentionaliter, quia est obiectum proportionatum, neque angeli per abstractionem a sensibilibus cognoscere possunt. *Ergo* se ipsos per suam essentiam cognoscunt atque intuentur.

3. Angeli *semper actu* cognoscunt suam essentiam; nam a) ipsis semper coniuncta et praesens est modo intentionaliter, ac proinde non possunt eam non videre. b) Vita angelorum primario consistit in cognoscendo; neque enim habent facultatem vegetandi et sentiendi, sicut nos. *Atqui* viventia non possunt esse sine ullo actu vitali; sic homines, nisi cogitant et sentiunt, saltem vegetant. *Ergo* angeli semper habent actum cognoscendi et quidem se ipsos cognoscendi. c) Hic autem actus propriae conscientiae non constituit essentiam angeli; nam etiam in angelo esse non idem est atque agere, ita ut sit purus actus, quod est solius Dei.

4. Angeli *res ab ipsis distinctas*: a) non cognoscunt per suam essentiam; nam ens cognoscens res omnes in sua essentia, debet eas in se continere. *Atqui* hoc est solius Dei, cuius essentia est fons omnis realitatis et rerum exemplar fundamentale. *Ergo* angeli res a se distinctas non cognoscunt per suam essentiam. b) Neque eas cognoscunt per species abstractas sicut nos, quia non praediti sunt sensibus. c) Unde non restat, nisi ut res alias cognoscant per species habituales ipsis a Deo initio inditas et congenitas; quae species res non quoad earum apparentiam sive actionem physicam repraesentant, sed quoad essentiam. Angeli igitur res alias, quarum habent ideas a Deo impressas, immediate intuentur, non iudicando et ratiocinando; neque a ratione loci vel temporis eorum cognitio dependet, quemadmodum nostra. — Neve obicias, angelos, si cognoscerent per ideas innatas, non esse certos, ideas suas rebus esse conformes. Nam, intuendo suam naturam, etiam illas ideas ei ab auctore naturae inditas in ea percipiunt, tanquam facultatem cognoscendi ex debito naturae complentes. Unde ipsis persuasum est, non posse eis inesse falsitatem, quemadmodum veracitatem intellectus nostri eiusque aptitudinem cognoscendi a priori statuimus, et in omni cognitione implicite supponimus. Porro sicut nos ideis nostris ex certo iudicio vel ratiocinio acquisitis valorem obiectivum tribuimus (e. g. theorematibus, formulisque mathematicis), ita etiam angelis persuasum est, illis ideis a Deo inditis certam subesse veritatem. Ideae igitur, quas nos a rebus ipsis determinati formamus sive acquirimus, angelis simul ab initio sunt impressae, ita ut eorum cognitio statim sit perfecta et aliquo modo adaequata secundum naturam singulorum magis vel minus perfectam.

5. Angeli *Deum* cognoscunt non per naturalem intuitionem, quae creaturae impossibilis est ex ordine naturae, neque solummodo ut nos per conclusionem ex rebus finitis, sed ex similitudine, quam ipsorum natura habet cum Deo, sicut hominem in speculo consideramus. Triplici enim modo aliquid cognosci potest¹⁾: a) *per praesentiam suam physicam* in facultate cognoscendi, sicut lux in oculo, vel actus immanentes in nobis; et sic angelus intuetur se ipsum, non autem res alias; Deus autem et se ipsum et res omnes sic

1) Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 56, a. 3; c. gent. III, 49.

intuetur; b) per praesentiam *similitudinis* rei, ut species sensibilis in oculo; et sic angeli res materiales et immateriales per ideas innatas cognoscunt; c) per praesentiam *rei similis rei cognoscendae*, sicut homo in imagine speculi cognoscitur; et sic angeli Dei et existentiam et naturam percipiunt tum in aliis angelis tum in sua essentia, quam perfecte intuentes simul etiam Deum, eius auctorem et finem, tanquam in speculo apprehendunt. Haec igitur angelorum cognitio Dei est multo perfectior nostrâ, quia est *quasi immediata* i. e. in et cum eius *similitudine* percepta, non *mediata* et *discursiva*, sicut nostra ex effectu ad causam concludens;¹⁾ et est *continua* sicut cognitio propriae existentiae.

6. Res vero *libere* futuras, cogitationes et secreta cordis, mysteriaque divina angelus non cognoscit, nisi a Deo ipsi revelantur; potest autem, sicut et nos, modo discursivo ex causis rerum vel effectibus multa concludere vel certo, ut effectus ex causa necessaria, vel probabiliter, si causa est libera. Itaque angeli et boni et mali multa, quae fiunt secundum leges naturae, praevidere possunt, quae nos latent, quia multo perfectiorem cognitionem causarum naturalium habent, quam nos; possunt magna probabilitate conijcere, quid hic vel ille homo sentiat, cogitet, velit, ex motibus eius organicis sive ex actibus sensitivis, praesertim *ex phantasia*; *possunt* magna cum probabilitate praedicere, quid hic vel ille homo in his vel illis circumstantiis factururus sit, quum hominis vitam anteactam, eius inclinationes, vitae conditiones naturaliter cognoscere possint. Immo quum testes fuerint totius historiae humanae, bene sciunt, quid homines temporibus elapsis in his vel illis adiunctis semper fere fecerint, ac proinde in futurum iuxta communiter contingentia facturi sint. Unde patet, angelos et bonos et malos, si Deus permiserit, multa portentosa mirabiliaque et facere et praedicere posse, quae tamen proprie non sunt miracula.

Caput III: De finibus cognitionis nostrae.

Notio: Quamvis quinque nobis sint fontes cognitionis, et quidquid rationem entis habet, i. e. res tum materiales tum immateriales vel quoad naturam vel saltem quoad externam apparentiam percipere possimus, nostra tamen cognitio ex multis causis terminis restringitur angustis:

1. *In genere*, quia cognitio nostra intellectualis non est rerum intuitiva, sed oritur ex sensibus semperque fit per relationem ad sensationes. Unde fit, ut res in tantum cognoscamus, in quantum vel per se ipsas, vel per effectus suos sensus nostros afficiunt. Itaque a) cognitio nostra est *intensive* restricta. Quum ipsa rerum essentia sensus non afficiat, eam in se non intuemur, sed ex phaenomenis et effectibus tanquam eorum subiectum et causam vel immediate vel mediate apprehendimus. Unde non mirum est, cognitionem nostram de rerum natura esse, licet veram, obscuram tamen et

¹⁾ Cfr. S. Thom. c. gent. l. c. primo loco.

imperfectam. Iure igitur Aristoteles¹⁾ mentem nostram comparat oculo noctuae, quae lucem solis perferre non possit. b) Cognitio nostra etiam *extensive* valde limitata est. Plurimae enim sunt res, quae neque per se neque per effectus suos sensus nostros afficiunt (neque solum res immateriales, sed etiam materiales) sive ratione nimiae magnitudinis sive nimiae parvitatibus (atomi), distantiae localis vel temporalis. Multa igitur sunt obiecta, quae effugiunt nostram cognitionem, immo plura quam quae scimus, quod peritissimus quisque in sua arte fatetur (Newton²⁾, Linné et alii). Quare Plato nos comparat homini in fundo specus collocato, qui solum per angustum foramen lucem diei et mundi obiecta percipiat.

2. Cognitio humana limitata est *in specie*, i. e. in singulis individuis humanis, quia homines valde differunt: a) vi intellectus naturali, b) dispositione et inclinatione voluntatis ad scientiam acquirendam, c) mediis cognitionis, quae requiruntur ad veritatem cognoscendam (ocasio, fortuna, libri, magistri etc.).³⁾

Thesis XIX: Progressus infinitus et „Transformismus“ est reprobandum.

St. qu.: Duplex in hac quaestione error est vitandus: 1^o eorum, qui cognitionem nimium *coarctant*, et quidem a) quoad *intensionem*; et sunt Sensistae, Sceptici necnon Kantiani docentes, nos rerum naturam nullo modo cognoscere posse; b) quoad *extensionem*; et sunt vel Idealistae, qui negant, nos percipere obiecta ipsa sensibilia tum propria tum communia; vel Materialistae et Positivistae, qui omnem rerum immaterialium, vel causarum, vel finium in rerum natura certam cognitionem in dubium vocant. Unde celebre illud effatum du Bois-Reymond de septem „mundi aenigmatibus“: „Ignoramus et ignorabimus“ est reprobandum;⁴⁾ c) quoad *veritates religiosas*; sunt enim, qui doceant, rationem humanam peccato corruptam non iam aptam esse ad veritates fundamentales religiosas cognoscendas, ut Wicleff, Huss, Luther, necnon Traditionalistae.

2^o Error eorum, qui obiectum cognitionis nostrae tum intensive, tum extensive nimium *extendunt*, est reprobandum. Ac primum quidem *progressismus*, qui putat, progressum hominum in scientiis (et virtutibus) acquirendis esse continuum et infinitum. Quam sententiam post Thomam Campanella plus minus sequebantur: Baco de Verulam, Cartesius, Pascal, Condorcet, Lessing, Kant, praesertim

¹⁾ Metaph. I, 10 (alii II, 1). ²⁾ Cfr. Hagemann, Noetik⁴, p. 202; porro Ioh. Huber, Idee d. Unsterblichk., p. 56 sq.; Schiller, Das Bild von Sais. ³⁾ Cfr. v. Hertling, Grenzen der mechanischen Naturerklärung, 1875; T. Pesch, Die gross. Welträtsel, 1883 n. 10—36; Dubois-Reymond: Die sieben Welträtsel, Die Grenzen des Naturerkennens. ⁴⁾ Cfr. supra pag. 255 sq.